

fortunis, publicis privatisque, in Venetorum fidem tradidit. Dux militibus septus urbem ingreditur, Divique Mauri corpus pro magno habuit negotio invisere. Deducta ex Parentio classis ad insulam Polæ propinquam admota est. Histriæ oppidum est Pola vetustissimum, & ut alio loco significavimus, a Colchis conditum. Sub ipsum fere appulsum Polani quoque Parentinorum deditionem secuti, cum Bercaldo Antistite ultro in Venetorum potestatem concessere. Multi populi jampridem ad deditionem spectantes, huc ad Urseolum confluxere, ac certatim per legatos Venetorum imperium accipere. Aliquot hic dies consumpti in audiendis populorum legationibus, eisdemque in fidem recipiendis: sed aliquanto plures in conscribendis militibus: quibus in naves impositis, ad Jaderam Urseolus navigat. Manserat aliquanto prius ea civitas in Venetorum patrocínio: ac per hoc ingenti plausu & lætitia obviam effusa multitudo venientem Venetum excipit, dominum liberatoremque suum appellat. Hic subito ex Coryctæ & Arba suorum popularium nomine Antistites duo cum legatis affuere, pacem orant, imperiumque semel acceptum perpetuo se facturos jurejurando promittunt: atque illud additum, ut quoties rem divinam facerent, secundum Imperatoris laudes Veneto Duci suas decantarent. Quum tam prosperæ res Venetæ tota Dalmatiæ ora essent, Murcimirus, pulso fratre, Croaciorum regnum obtinebat: *Croaciam* siquidem *rubram*, eam Illyrici partem, quæ a vastitate camporum, qui in media ferme provincia sunt, ad Dyrachium usque, recentiores dixerunt. Veritus is ne prospero rerum cursu Veneta signa in intima Dalmatiæ loca penetrarent, per legatos properat sibi Ducem conciliare, auxiliarem manum in Venetorum gratiam se comparaturum pollicetur. Ex Jadera interim Dux decem longas naves mittit ad vastandos Narentanorum fines. Circa insulam Belgrado proximam ferunt eam ab incolis *Chamam* appellatam. Quadraginta Narentanos negotiatores, qui ex Appuliæ littoribus solverant, intercipiunt: sunt qui tradant, per exploratores eorum adventum antea cognitum, atque ob hoc ipsum præmissas fuisse naves. Urseolus, supplemento prioribus copiis addito, non multo post